

16

DELICIARUM  
EPISTOLICARVM  
FESTIVALIUM

*Exercitatio Decima Sexta*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Rectore Gymnasii Hallensis

*Respondente*

THEODORO CRELLIO.

Hallensi Saxone

In

FESTO MARIE VISITATIONIS

MDCCXLIII.

---

HALLIS SAXONUM

*Typis Schmidianis*



V I R I S

Magnificis, Nobilitate Amplissimo, Admo-  
dum Reverendo, Consultissimis, Ex-  
cellentissimis atq; Pru-  
dentissimis

**Dn. HIEREMIÆ ÆSCHELIO** JCTO, Comitipal-  
Cas. atq; illustribus Dominis Dnn à Schonbur-  
go, Dynastæ in Glaucha & Waldenburgo, Et.  
à consiliis dexterrimis & Capitaneis Wechsel-  
burgi ac Remse.

**Dn. JOHANNI COSTIO** } Reip. Halli Coss. ab

**Dn. JOHANNI SCHEFFERO** } Schol. gravissimis

**Dn. M. CASPARI BERTRAM** Ministro Ecclesie  
Naumburgi Primario vigilantissimo

**Dn. MICHAELI DORNERO** Oratori } Reip. Hall.

**Dn. IOHANNI STUTZINGIO** Cam. }

**Dn. ANDRÆ HOFMANNO** } Senatoribus & Sa-

**Dn. CHRISTIANO Zeisen** } linatoribus conspi.

Dnn. Mœcenatib. & Fautoribus paren-  
tis quasi ad instar suspiciendis, Pro-  
motorib. & Evergetis liberalissimis  
has disputatorias primitias

*In debite gratitudinis testimonium, sui q̄  
ulterius promovendi commendationem*

D.D.D.

Theodorus Crellius

Respe.

# EPISTOLÆ

In Festo Visitationis Mariæ

ANALYSIS

*Philip. 1. v 3 ad 12.*

*Cant. 2 â v 8. usq; ad 15.*

THESIS I.



Estum Visitationis Mariæ festum est magnum propter conventum: convenit enim è masculino sexu Christus & Johannes, uterq; maximus; è feminino Maria & Elisabetha, utraq; admiranda. Magnum est propter ætuum, qui susceptus est. Et quidem nostræ salutis est iudicium, quo testatur Elisabetha testimoniū & Mariæ canticum, ut ita merà sint miracula & oracula notanda. Unde meritò cum Psalte jubemur cantare canticum novum Ps. 96. v. 1. Quia quemadmodum sol exoritur unus non in occulto manet, sed sese mox visen-

visendum prabet, radiosq; late pramittit, & totum aëris hemispherium illustrat Sir. 43, 2. ita etiam sol justitiæ Christus Mal. 4, 2. vix ortus subito apparuit, licet quodammodo adhucdum in utero latuerit.

2, Ostendit idipsum etiam Epistola desumpta ex Cantico canticorum. In qua habetur colloquium sub persona sponsi & sponsæ nempe Christi & Ecclesiæ de amore reciproco; & quidē partim est sponsæ sermo de sponso: cuius est descriptio quoad affectum seu saltum in properatione v. 8. ubi tum suaviloquentia, quæ denotatur modo quod sit Vox. Cum enim in precedentibus sponsi sermo ad adolescentulas filias Jerusalem esset, ne suscitaretur dilecta, derepentē ostendit sponsa, se audire vocem dilecti. Quippe verbum divinum, uti habet Gregorius Nysenus Homil. 5. difficile est contemplatu, sed facile auditu. Unde & ipsa Maria citius percipit vocem Christi post resurrectionem Joh. 10, 16. quā in noverat faciem: Ovesq; vocem pastoris agnoscunt Joh. 10, 14. Et in rebus spiritualibus & interioribus sensibus auditu prius, quā visu percipiuntur spiritualia. Unde & fides ex auditu Rom. 10, 17. Et sponsus ad dilectam suam Ps. 45, 11. inquit: audi filia: & tum subdit, & vide: Nec mirum  
in

inquit Bernhardus Serm. 28 in Cantica, cum istius modi rerum immensa sit claritas, visus est angustus, nec potens ad illa. Hinc & in historia Spiritus Sancti prius dicitur auditus, Act. 2, 2. tum & visus.

3. Et Subjecto, quod sit Dilecti vox: per quem intelligitur Christus, uti interpretatur ipse Deus, dum vocat dilectum suum filium Matt. 17, 5. in quo & nos diligimur.

4. Tam praesentia, dum venit secundum Ps. 40, 8. Et quidem saliens in montibus: quasi diceret, vox me non fallit, illum ipsum intueor venientem & simul salientem. Saliit vero, uti Bernhardus & Ambrosius Serm. 6, in Pl. 1, 8, habet, e caelo in uterum, ex utero in praeseptum, ex praeseptio in lignum, e ligno in sepulchrum, e sepulchro iterum in caelum: simulque eius verbum saliit per universum mundum. Et per montes partim magna regna intelliguntur, partim perfectiores, uti Origenes & Ambrosius interpretantur, accipiuntur. Saliens autem vocatur, quum non ordinem naturae observat, sed praeter naturam ista praestitit. Per montes vero saliit, quia iisdem etiam delectatur.

5. Et transfiliens colles, ut qui inferiores montibus; per quos humiliores intelliguntur & simpli-

simpliciores, cum non solum magni & spirituali-  
bus, sed & alijs de populo suam manifestavit gra-  
tiam. Nec enim per montes, quemadmodum  
Origenes voluit, N. Testamentum, per colles ve-  
ro Vetus intelligitur.

6. Et Statum in comparatione v. 9. In  
quo cum caprea & hinnulo assimilatio: ubi  
subjectum dilectus, per quem intelligitur Chri-  
stus, qui etiam apud Johannem, uti in toto hoc  
mystico cantico, ita appellatur. Prædicatum  
est e loco comparatorum, quod sit similis tñ  
capreae i. propter contemplationem, uti ha-  
bet Origenes Hom. 2. quia caprea, Graecū  
δόρυς dicta, nomen habet παρὰ τὸ ὄξυς δώρ-  
ου, quod acutius videat! quia Christus hostes Ec-  
clesiae, ejusq; pericula e longinquo prospicit, & as-  
serit ne sponse noceant; & quia solus & videt, &  
facit videre Patrem. 2. propter cordium scru-  
tationem, quia praevidere facit fideles omnes ad-  
versarij laqueos, uti habet Philo Carpatius. 3.  
propter fidei prælationem, quia fides precede-  
re debet opera, uti Theodoretus interpretatur.  
4. propter discretionem, qua salit in animas,  
inquit Bernhardus Serm. 54. & tandem. 5.  
propter celeritatem, dum cursum Evangelij ce-  
lerrimè propagari voluit.



7. Partim hinnulo cervorum. Et quidem  
dicitur hinnulus cervi 1. ob imbecillitatem :  
Nam statim in statu integritatis Christus poten-  
tiam suam non exseruit Philip 2, 7. 2. ob oppu-  
gnationem, quia uti solent cervi manē oppugna-  
ri Ps. 22, 1. ita Christus Matth. 27, 1 3. ob eju-  
lationem, de veratu enim serpentibus miserabilis  
ploratus ingeminavit : idem fecit Christus Psal.  
22, 2. 4. ob humiliationem, mansuetus enim  
& patiens fuit, ut etiam nos ad se vocet Matth. 11.  
28. 5. ob agilitatem, vix enim animal est alacri-  
us et sagacius, nec unquam quiescit : ita & Chri-  
stus voluntatem Patris libenter prestavit 2 Cor. 5,  
18 ut ita consistat in actione, dum vitia extirpat.  
Atq; ita per hinnulum exprimitur salientis deside-  
rium, & per capream iudicium, quo discamus has  
virtutes, & simus similes. Colligiturq; exinde  
Christi affectus associantis dum venit, contem-  
plantis dum prospicit, et liberantis dum salit.

8. Et ejusdem confabulatio per modum  
objectionis de presentia, ac si non statim libe-  
raret sponsam ; cujus responsio ab effectis re-  
spectu situs, quod iter post parietem. Aptis-  
sime ita exprimitur amantium ingenium, quorum  
mos est, ut, cum intell. gunt, summoperē se expe-  
ctari à dilectis, haut illico ingrediuntur, sed in limi-

ne subsistant, quò magis excitent desiderium, uti  
Bernhardus in principio Sermonis 56. ex-  
plicat. Respicitur vere ad incarnationis mysterium,  
secundum quod divinum verbum stetit post parie-  
tem humanitati & carnis secundum Augusti-  
num lib 2 de visitatione infirmorum c 2.  
Et recte humanitas per parietem denotatur, dum  
per ipsum paries carnis nostra secundum Anshelo-  
mum est sublatus, nec semper à nobis videtur, 1.  
Cor. 13, 12. licet ipse nos videat.

9. Et visus partim respiciens per fene-  
stras. Metaphora desumpta est à floribus, qui  
intra folliculos conclusi paulatim ex ipsis in mo-  
dum cancellorum sese aperientes erumpunt! uti &  
vocabulum Meziq̄ in conjugatione Hiphil potius  
prospiciendum se exhibere denotat. Sic Christus  
scilicet omni flore pulchrior sese in periculis exhi-  
bet & tamen non manifestè apparet, ut sit de ma-  
nifestatione, quæ quidem in hac vita exhibetur,  
sed in enigmate, 1. Cor 1, 12 ut Cassiodorus &  
Beda interpretantur. Id fit & spiritualiter per  
sensus cum nos in lege Domini meditates divinis  
sermonibus oblectamur secundum Theodore-  
tum.

10. Partim per cancellos prospiciens,  
ut, uti per fenestras promptitudo & apparentia, ita  
per

per Cancellos latentia intelligatur, dum non se totum præbet, nosq; per fidem non de facie, sed in ænigmate solum & velut per cancellos cum sponso spirituali loquimur. Intellectus enim obscuratur Eph. 4, 18. cancelli sequestramur sicut reti, quale Moyses fecit Exod. 8, 4. à felicitiori cognitione Dei, que alterius seculi 1. Joh. 3, 2. Psal. 17, 15.

11. Partim habetur Sermo sponsi ad Sponsam, quam invitat, ubi est blanda illius compellatio v. 10, in quo per Mimesin verba sponsi recitantur, tum præmittendo causam, que habet in Latinâ versione particulam attentionis EN (quamvis in Ebræo verbum nganah, quod respondere seu ordiri denotat, habeatur) ut humanitas & benignitas sponsi consideretur; sed in Ebræo est subjectum quod Dilectus, hoc est, Christus sponsus à quo diligitur Ecclesia, eundemq; vicissim diligit. Et Prædicatum in genere quod loquatur nempe per ministerium, per quod efficax est Deus colligens sibi Ecclesiam sponsam. Ut quemadmodum antea vidit, ita etiam modo audit. In specie additur objectum, quod sponsæ suæ, que per Jô mihi intelligitur, loquatur. Est enim Christi aspectus non indignationis, sed dilectionis.

12. Tum Formulam que continet in genere

re

e modum, surge quippe jacemus in peccatis, in  
quibus sumus mortui, ut surgamus per fidem. De-  
inde propera; non enim sufficit surgere, nisi ad-  
sit quoque progressus, uti monet Nysenus hom. 5.  
per virtutum profectum: quia dignum est, addit  
Gregorius, ut, quicumque ad amorem Christi pro-  
perat, carnis terporem, quantum potest, abiciat,  
& se ad eterna consequenda celeriter accingat, ne  
tempus oblate gratia negligat.

13. Et in specie tum titulum ex relati-  
one, quando appellat amicam suam: propter  
1. mysterium incarnationis, dum frater noster  
factus Eph<sup>o</sup> 5. 2. quemadmodum Epiphanius li.  
2. c. 2. hæresi 69. interpretatur, dum inquit:  
Non posset Ecclesia amica Christi vocari seu pro-  
pinqua, nisi ex supernis venisset & appropinquasset  
ipsi per carnem Heb. 2, 14. & 2. propter officium  
obsecutionis, quo, quemadmodum sponsa, ipsū  
sequamur, & ea prestemus, quod solent amice &  
propinque. Etenim, inquit Bernhardus, sp̄. nisi  
lucra studiose ac fideliter amica conquirat. Et 3.  
propter eminentiam retributionis, quem ad-  
modum Ambrosius lib. de Apol. David ha-  
bet, ubi ait: proxima est fidei desiderio: ideo equū  
est, ut introducam te in cælestem domum mei Pa-  
tris, & faciam te consciam secretorum cælestium.

Ad-

Additur quidē in vulgata versione columba mea,  
sed in fontibus non habetur.

14. Ex descriptione, dum nominat for-  
mosam propter sanctificationem in 1. baptisma-  
te Ezech. 16, 9. Eph. 5, 26. 2. in puritate do-  
ctrinae; in spiritus charitate & in externā ad-  
ministratioe, deniq; in glorificatione Eph. 5, 27.  
Apocal. 21, 23.

15. Tum aditum, ut veniat. Ita enim in-  
titat ut surgat secundum Ambros. à delecta-  
tionibus mundi, ut properet à terrenis, & veniat  
supra mundum, ut veniat per charitatem in eter-  
nam gloriam.

16. Et invitationis ratio conjunctim  
quia est hyemis mutatio v. 11. ut sit sumpta ab  
oportunitate seu occasione oblata gratia in  
quo summam, quod hyemis transierit. Nulla  
ergò adest excusatio, quo minus surgat, properet  
& veniat: Siquidem hyems frigida incredulitati  
uti appellatur Matth. 24, 12. desit procellosita-  
tis & corporis. Natura enim in hyeme quasi intus  
conclusa quiescit. Ut intelligatur tempus male-  
dictionis legis & calamitatum Ecclesie.

17. Et explicatim, quia imber cessavit:  
nempe ira divina ex Psal. 11, 6. lacrymarum Ps.  
Psalm. 79, 11. ut unā intelligatur tempus V. Te-  
stamen-

stamenti, dum lex lata per tempestatem Exod. 19.  
26. sed transiit & recessit abrogatis ceremoniis in-  
numerisq; præceptis per N Testamentum, Ro. 13, 12.  
in quo est imber doctrinae Deut. 32, 2. tandem glo-  
rie, uti interpretatur Honorius dum inquit:  
non jam illæ verborum literæ sunt necessariae.

18. In Specie temporis denotatio v, 12.  
in quo veris est descriptio, quoad vegetabi-  
lia, tum in florum apparitione. Ubi non tam  
flores ipsi quàm florum gemmae, quæ nithanim  
Hebræis dicuntur, qui primo veris tempore nascun-  
tur in terra; per quos communi sensu virtutes in-  
telliguntur secundum Originem hom. 4. &  
Greg. Nyssenum Tunc verò apparent flores in  
terra, cum aeternæ beatitudinis vita quædam pri-  
mordia degustare cœpit, inquit Gregorg. hom.  
26. in Ezech quoniam absolutæ bonorum posses-  
sio pijs hominibus in futurum reservatur seculum.  
Flores ergo sunt virtutes piorum, quæ germinant  
etiam si senuerint Psal. 92, 15. instar rose inter  
spinas Ose. 14, 6.

19. Tum in putatione intelligiturq; secun-  
dum Origenem & Cassiod. tempus remissio-  
nis peccatorum, quò scilicet post Christi adventum  
amputata sunt peccata & defectus, ut animæ fru-  
ctus plures afferant. Etiam tempus resecationis

su-

19. Superfluum secundum Bernhardum, & tempus  
iudicij extremi, quo palmites steriles exscinden-  
tur Job. 15, 6. Ezech. 7, 19. quo lolium colligetur  
Matth. 13, 10. In Ebraeo quidem habetur dictio  
Zamir, quae & putationem denotat, sed prior si-  
gnificatio melior 1. propter paraphrasin Chaldaicam,  
2. quia sequitur de avibus, 3. quia ita &  
Graece & Latina interpretationes habent, uti  
monet Theodoretus lib. 2. in Canticum.

20. Quoad sensibilia de avium cantilla-  
tione, quod vox turturis sit audita. Non verò  
istud additum tam ad ostendendum vernum tem-  
pus, quam ad confirmandum. Et partim vox Spi-  
ritus Sancti intelligitur secundum Origenem,  
ejusque gratia, unde tantum unius fit mentio, quia  
ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarra-  
bilibus Rom. 8, 16. Turtur enim est signum ge-  
mentium amorisque reciproci uti habet Hugo.  
Turtur est ipse tandem Christus, nam vox ejus est  
Evangelium. Et turtur dicitur. 1. quia nimio de-  
siderio desiderat. 2. quia familiaritatem & con-  
cordiam aequè amat. 3. quia nunquam non suspi-  
rat, & denique vernum tempus annunciat. Ea vox  
audita est in terra nostra, ut consortium ostendat,  
quae partim est animus noster, partim caelestis pa-  
tris.

21. Et fructuum demonstratio quoad ve-  
ris confirmationem v. 13 in quo simplex  
declaratio, tum quod ficus protulerit grossos  
suas. Est enim iudicium prope adesse aetatem  
Matth. 24, 32. Intelligitur verò Synagoga dum  
grossi secundum Ambros. in lib. de Isaac c. 4.  
abijciuntur. Et Apostolis predicantibus emerferunt  
multi de Synagoga, uti habet Cassiodorus. Et  
grossi dicuntur etiam Martyres secundum Grego-  
rium, ut qui praemittuntur, dum tempus iudicij  
imminuitur.

22. Tum quod vineæ dederint odorem  
suum, dum magnitudine racemulorum certam  
fructus spem ostendunt. Nominantur q<sub>3</sub> duo potissi-  
mum fructuum genera: quoniam ista duo sunt,  
quae & dulcedine & voluptate reliquos superant.  
Intelligitur q<sub>3</sub> odor bonae fama secundum Orige-  
nem, cum credentes animae exempla bona per  
pravam opinionem sibi invicem aspergunt secundum  
Gregorium.

23. Et reiterata invitationis confirma-  
tio in genere quò surgat; à 1. mortificatione  
peccatorum 2. à membrorum resolutione, à 3. mu-  
tatione, ab 4. in credulitate ad majorē profectum.  
In specie quoad titulum dicitur partim ami-  
ca denuo, ut cum post primam penitentiam inter-  
veni-



veniant aliqua, tamen maneat amica: Tunc speciosa ex gratia per peccatorum ablutionem Ezech. 16. 1. 1. Job. 1, 9. per justitia imputationem Esa. 61. 3. & tandem per Spiritus Sancti donationem Psal. 104. 1. Cor. 6, 11. que tamen in hac vita est inchoata, in altera erit consummata.

24. Et quoad habitum, ut veniat in justitia, in fiducia, in perfectione, in sanctitate, in fide, uti ait Epiphanius hæresi 59. neq̄ enim ei, qui verè surgit, unquam deerit semper surgere.

25. Et quam orat, ut sit faciei demonstratio v. 14. in quo compellatio, ubi nota objectum & dicitur columba, quam ita 1. vocat propter speciositatem Psal. 68, 14. 2. propter simplicitatem Matt. 10, 16, Rom. 16, 19. & 3. propter puritatem 2. Cor. 7, 1. 4. propter fecunditatem Tit. 3, 14. & deniq̄ propter amabilitatem, intelligitur q̄, Ecclesia.

26. Et locum, qui duplex, partim in foraminibus petrae ut que non, ut potentes & divites hujus mundi, habitat in magnificis ædibus, sed in petra foraminibus, que sunt Christi vulnera: siquidem ipse vera petra 1. Cor. 10, 4. 1. ob pavescientium præsidium Job. 14, 1. 2. ob fructificantium hospitium Job. 15, 2. uti interpretatur etiam Gregorius hunc locum, & Cassiodo-

odorus Et quid non boni in petra inquit Bernh.  
ex Matt. 16, 18. 1. Cor. 10, 4. Esa. 28, 16. in petra  
exaltatus, in petra sepultus, in petra firmiter stat.

27. Partim in caverna maceriae. Id est in  
vulnere lateris, quod lancea factum est, uti Gre-  
gorius inuuit. Et Christus vocatur maceria pro-  
pter mortalitatem, & petra propter immortali-  
tatem. Sicq; Christus nullum reijcit ad se venien-  
tem.

28. Et ipsa adhortatio, cuius summa tum  
ut ostendat faciem suam, id est, ut fugiat ad  
Christum. Idq; fit velum auferendo tum igno-  
rantiae Esa 25, 7. tum malitiae Ps. 94, 7 tum pra-  
posteræ erubescientiae Gen 24, 65 Deinde ad De-  
um convertendo, & 3. fidem & justiciam dona-  
tam custodiendo. Ita Cassiodorus: ostende mihi  
faciem tuam, quam in baptismo tibi dedi, quando  
te ab omni peccato mundavi. Et Gregorius: pra-  
cipit sponsus ut ei sponsa faciem suam ostendat, quis  
quicunq; se fidem dicit habere, necesse est, ut in bo-  
nis operibus se exerceat, ut ex operibus exteriori-  
bus fides interior innotescat, quemadmodum & pa-  
raphrasis Chaldaica interpretatur. Secundum  
Gregorium puritas fidei atq; operum est facies  
animarum, ut in illa tanquam in speculo imaginẽ  
representatam videat.

29. Tum ut sonet vox in auribus. Vox  
vi-

Instandsetzungsschein

ersten und letzten Lagen des Buchblocks  
den in siedenden Bädern gereinigt und ge-  
tigt. Mürbe und zerissene Teile des Papiers  
den ausgebessert.

Bucheinband wurde originalgetreu wieder  
gestellt.

ULB Halle

006 386 679





3

*Gabriele Grauer*

Halle, den 8.10.1970

*Th. 4968*





B.I.G.

Farbkarte #13

16

ICIARUM  
**OLICARVM**  
 TIVALIUM  
*atio Decima Sexta*  
 RÆSIDE  
 ANO GUEINZIO  
 Gymnasii Hallensis  
*espondente*  
 ORO CRELLIO.  
 Hallensi Saxone

In

**RIÆVISITATIONIS**  
 DC XLIII.

---

LIS SAXONUM  
*Schmidianis*